

Q. K. 352, 31.

X 186 4146

J. N. D. T. T. D.

DISSERTATIONEM MORALEM

DE

TEMPERANTIA,
CONCEDENTE GRA-
TIA DEI TRINUNIIUS,
PRÆSIDE,

M. ABRAHAMO HENRICO
DEUTSCHMANNNO,
FACULT. PHIL. ADJUNCT.

COLLOQVIO PUBLICO
SISTET
RESPONDENS,

CHRISTOPHORUS COPPIUS,
BARBYENSIS - SAXO,

S. S. THEOL. ET PHILOS. CULTOR,
IN AUDITORIO MAJORI.

D. VIII. JUL. ANN. M. DC. LXXXIII.
HORIS ANTEMERID.

VITEMBERGÆ,
PRÆLO JOHANNIS HAKII,



92

920



IN D. T. D.
DISSERTATIONEM MORALEM,
DE

TEMPERANTIA,
CONGREDIENTE GRA-
TIA DEI TRINIVIVUS.
PRAESIDE,

M. ABRAHAMO HENRICO
DEPUT.
FACULT.
COLLOQUII PUBLICO



CHRISTOPHERUS COPPIUS,
BARBYRENSIS - SAXO,
S. S. THEOL. ET PHILOS. CULTOR,
IN AUDITORIIS MAJORI.
D. VIII. JUL. - ANN. M. DC. LXXXIII.
HONORIS ANTHEMID.

VITTMERGE,
WILHELMUS JOHANNES HALLI,





J. N. D. T. T. A. E. D.

Temperantiam Humanae Vitae Custodem esse, docuit olim suo tempore Plato in Charmide. Nec abs re est, quod Divinus Philosophus asseruit. Haec enim totius Vitae, omniumque reliquarum Virtutum non tantum Condimentum, sed Verum reipsa Nutrimentum est. Nullus Status Vitae nostrae, nec ulla ejusdem Societas existit, quae, remota Temperantia, consistere posset. Contra recte judicavit Xenophanes: Nihil mali in Homine nasci posse, qui Temperantiam, qualis Fundamentum Sapientiae dicitur, amplexus fuerit. Hanc ergo Helenam Virtutum ut Exemplis observemus & exerceamus, jam verbis exponamus, necessum esse putamus, potissimum, cum illi, qui temperanter vivant, optime vivant, suamque Vitam DEO placeant. Difficilius autem nihil Temperantiae. Hinc Menedemus, quando Juvenis quidam dixerat: Magna res est assequi, quae quis desiderat; Respondit recte: Multo major est, omnia ea non desiderare, quibus nihil indiges. Temperantia, quoad Preciositatem, nulli quoque Virtuti Morali cedit. Ideo jure omnes Virtuosi, reverentiam, non apparenter saltem tales, Temperantiae student, eamque alii commendant. Virtus haec pulcherrima nec in Statibus Profanis deficere debet atque solet, si aliam Personam Virtuosam in istis reperiantur, qui Virtutem praesentem exercere ne utique recusent. Eam ob causam tractationi ordine Doctrinae Virtutem istam Pietati Morali, ut Priori Virtutis Specierum, subjungemus, Positiones quasdam de eadem proponemus, Essentiam, Essentiam, aliaque huic Disputationi Ethicae, quae Temperantiam concernunt, destinabimus, nec Antitheses ex parte omitemus, quae Thesis congruae sunt, Veritatemque melius ob oculos ponunt, Falsitatem vero rejiciunt. Id fiat ob TEMPERANTIAE AUTORIS & FAUTORIS BENEDICTIONEM SEMPITERNAM!

A e

POSI-

POSITIO I.

Temperantia est Virtus Moralis ad Agentem relata, dirigens Actiones Morales circa Voluptates & Res, Corporis curam inservientes.

§. I. Temperantia nomen a Temperante habet, & subjektivè datur in Viris Temperantibus, notat quoque ipsam Actum temperandi. Hinc Cicero pro Fontejo vere dixit: Vir frugi & in omnibus Vita Partibus moderatus ac temperans, plenus Pudoris, plenus Officii, plenus Religionis. Idem dicit in Parad. An Temperantem dices, qui in aliqua libidine se continuerit, in alia se effuderit? Sumitur quoque hic non improprie, pro Temperantie quodam Simulacro, nec generice, vel quatenus significat Virtutem Moderatricem omnium Affectuum, & sic omnes Virtutes sub suo ambitu complectitur. Idem asserit Lib. V. de Finib. Temperantiam Moderatricem omnium Commotionum vocat. Vel prout illa significat Moderationem omnium Voluptatum, ap. Acciajol. ad Arist. Ethic. Lib. III. ad Nicomach. Sed specificè, pro illa Virtute Morali, qua gula ac Veneri leges ponit, seu circa Voluptates, Gustus & Tactus versatur. *Synonymia* in Materiali Sensu dicitur (a) Continentia, a qua in formali acceptione differt, sicut Virtus a Semi-Virtute, Habitus a Dispositione, Perfectum ab Imperfecto. (2) Frugalitas, itidem formaliter distincta a Temperantia, ut latius & angustius, Genus & Species, distinguuntur. Hæc omnia de Definito dicere voluimus. Nunc circa Definitionem ipsam Temperantie notamus Genus, quod Terminis duobus gaudet, quorum alter est Virtus, quem & Autoritates, (cum omnes Ethici in Temperantia virtuosam agnoscant Naturam,) & Rationes confirmant dant, nempe (a) Virtutis Definitio s. ejusdem Constitutio. (b) Virtutis Divisio Primaria. (c) Ejusdem Proprietas. Alter Moralis dicitur: (a) Quoad Materiam Temperantia, Voluptates, non illicitas, sed licitas, ex Gustu & Tactu provenientes, quales in Moribus consistere perhibentur. Qualis verò Materia, tale Materialium est. (b) Quà Temperantia Formam, unde Morales Virtutes asstantur, qua μέτρος. (c) Quà Temperantie Difficultatem. Virtus Moralis Difficillima Res est, hinc & nihil difficilius Temperantiâ esse judicatur. Et Differentiam, qua potissimum duo attendit.

Ob.

*Objectum seu Materiam circa quam, & Formam ipsam, huic Vir-
tuti propriam. Prioris Requisiti nomine veniunt vel Amor & Cupi-
ditas Voluptatum, vel Voluptates, ac Dolores. Posterior verò, qua ali-
às Officium Temperantiae nobis ostendit, consistit & in Mediocri-
tatis Regula, examinante varias Circumstantiarum verarum Classes,
quales ad hæc tria paucis revocantur: (a) Ut Vir Temperans
moderate Res Absentes expetat, licitas videlicet Corporis Volup-
tates, iisque præsentibus eò modò utatur. (b) Ut idem absen-
tiam Voluptatum licitarum non impatientius, sed equo animo fe-
rat. (c) Ut idem in universum Vita ac Valetudinis Curam ha-
beat, quæ in finem Circumstantia Personarum, Objecti, Modi,
Loci, Temporis ac Finis probe sunt attendendæ.*

§. II. *Temperantiam pro Virtute Morali non agnoscunt,
qui fastidiosam Copiam Voluptatum anxie conquirunt, si qui-
dem tales in excessu peccant. Nec huic Virtuti proprium est,
semel in die saturum fieri, sicut Thomas pro Necessario Requisito
Temperantiae habuit, semel in die vesci. Ita quoque Plato, admiratus
Siculos & Italos, bis in die Cibis impleri, asserit. Sufficit, si Mediocritas
ab eo servetur, qui in die bis quoque comedit, qualem Temperan-
tia requirit. Sin autem Abusus accedat, & Usus tollatur, tunc
approbandum id non erit. Male Papistæ ad Temperantiam
strictè Abstemiam a carne referunt, suumque Jejunium hòc
modò stabilire audent. Vid. Meisner. Philos. Sobr. Part. III. Quæst.
II. pag. 276. seqq. Quales in defectu peccarunt, eaque sibi oppo-
suerunt, quæ non opponenda fuerunt. Ipsò factò Intempe-
rantes, Vino, epulisque dediti, testantur, eos minùs Temperan-
tiam æstimare, cum Res magnas despiciant, & mortem sibi sæ-
piùs Intemperantiâ suâ accelerent. Talia Exempla non sunt ra-
ra Hominum cum Mundo viventium. Hòc modò Intemperantes
Existentiâ Temperantiae agnoscere nolunt, nec Essentiâ E-
jusdem genuinò modò admittere cupiunt. O Inexcusabiles
Homines! quales certò culpandi sunt.*

POSITIO II.

*Objectum Temperantiae Voluptates dicimus, quæ ex Cibo,
Potu & Venere percipiuntur, ita ut per Temperantiae Leges Con-
vivis*

viviis interesse liceat, si *Voluptates Moderationi* subjiciantur, & *iisdem Homines* non abutantur.

§. I. A *Voluptatibus*, tanquam *Obiecto Directo, Interno, Primario*, *Temperantia* adequatè concepta oritur *Diversitas* ejusdem, alia *Frugalitas* nuncupata, specialius *Abstinentia* & *Sobrietas* dicta, *Temperantia* circa *Cibum* & *Potum* occupata, alia *Castitatis* appellatione gaudet, quæ *Venerem* concernit. Quò notatò, non in totum inficiandum, si quis *Conviviis* interfuit, *Temperantia* quoque studere eum oportere. Id confirmandum (a) *Temperantia* Officiò, quod est *Moderari Voluptates* circa *Cibum* & *Potum*, non autem easdem eradicare. *Moderationi* autem in *frugalibus* & *sobriis Conviviis* locum dari, nemo facile negare poterit, in quibus nulli invitò *Pocula* obtrudantur, nullus etiam *Potu*, *Ciboque* obruitur. (b) *Exemplis Sanctorum: Gen. XXI. 8. Luc. V. 29. & Cap. XIV. 1.* quæ solùm ad imitationem adducere hîc nobis concessum erit. (c) *Distinctione Conviviorum*, quorum alia bona intentione, sive *Recreationis Honestæ ac Jucundæ*, sive *Liberæ Conversationis* causâ instituta; Alia, in quibus immodica, intempestiva, & *luxu diffuentes Commessationes* instituuntur. Hæc improbamus, illa pro genuinis venditamus. Sunt *Voluptates*, hîc non *Animi*, sed *Corporis* intelligendæ, quæ dicuntur tales, partim ratione *Subjecti Proximi*, cum proxime a *Corpore* recipiantur; partim ratione *Effecti*, quia in *Corpore* suas habent *energias*; partim ratione *Discriminis*, siquidem a *Voluptatibus Animi* distinguuntur. *Voluptates* solùm honestas applicatas volumus, secundum quas licitum, necessarium *Cibum* & *Potum* in *Conviviis* expetere, illisque acquisitis, *Moderationi* studere oportet. Idem in *Colleg. Ethic. MSC. Excell. nostri Preceptoris DN. Prof. Nôbrenses* sufficienter explicatum, atque præsentî *Materia* accommodatum est.

§. II. *Anthichreses* iocò *Voluptates illicitas* & *immodicas*, in *Conviviis* existentes, rejiciendas esse statuimus, atque sic damnamus *Poculum Superfluitatis* in *Conviviis*, quò existente, plures quoque *immodicæ Voluptates* oriuntur. Nec in totum *Rationes*

nes dubitandi admittim9, si objiciatur: *Jeremia, summo Propheta,*
 a DEO præceptum fuisse, ne *Domum Convivii* ingrederetur,
Capite sua Prophetia XVI. 8. Ad quod dicimus: *Conditionem,*
 sub qua DEUS talia verba dixit, esse ponderandam; nem-
 pe hoc *Factū singulare, Signumq; futura Calamitatis est.* *Alia lo-*
co Responsionis adjicere non erit necesse, ne *Theologica misce-*
re philosophicis rebus videamur. Si porro excipiat: *Satius esse,*
Domum Lucūs, quàm Convivii, frequentare, juxta Ecclesiasten
Cap. VII. 3. Huic *Distinctionem* supra citatam accomodare pla-
 cet, quā *Convivia* distinguuntur in ea, quæ *Recreationis causâ* in-
 stituuntur, & *Usum* intendunt, & *ista, quæ Immoderationem, Abus-*
umque attēdunt. De posteriorib9 *Ecclesiastes* in loco *Comparisonis*
 ergo loquitur, nobis verò res cum prioribus est. In defectu ita-
 que errant, qui omnes *Voluptates Corporis* prohibere solent, ut
hodierni Fanatici id faciunt, suis *Opinionibus* totaliter *Convivia*
 improbant, sibi persuadendo, in *Conviviis* neminem *Pieta-*
ti studere posse, si *Voluptati Corporis* aliquid tribuant. Id quod
 non simpliciter falsum, sed secundum quid concedendū. In *Exces-*
su errant, qui ipsō *Exercitiō* testantur, se *Conviviis* interesse eam
 ob causam, ut *Voluptates illicitas* in actum deducere queant.
 Sicut *quotidianæ* *Experientia* talia *Exempla* ob oculos ponit.
 Sed omnia facti, non juris sunt, & *Mandato Divino contraria*
 dicuntur, quæ alia non sunt approbanda.

POSITIO III.

Per *Leges Temperantia* licitum est in alterius *Salutem* bi-
 bere, nisi *Excessus* atque *Abusus* accedat, & idem ad *Conciliatio-*
nem Amicitie reciprocæ facit.

§. I. Nos, brevitati studentes, *Probationes* nonnullas ad-
 jicimus pro *Affirmatione Theses*, & quidem respicimus (a) *De-*
corum; Honestum siquidem est, manifestō *Letitia Signō* testari,
 gratam nobis *alterius Recordationem & Incolumitatem* esse.
 Si eundem *Affectum* aliō *Signō* testari licet, quidni per *Pocula* nisi
 hac in re *Excessu* adhibeatur. (b) *Utile;* multoties *Potatione* in al-
 terius *Salutem*, velut *professione publicâ, Officium nostrum* alteri
 declarare, nosque commendare possumus; quæ *Studium*

neu-

neutiquam ab altero parili Benignitate & Affectu mutuò excipi potest, uti plura *Exempla* prostant. (c) *Jucundum*. Siquidem omnino *gratum* esse ac simul *Animum* delectare solet, quando alicui *Amicorum* & bene *meritorum* recordari concessum est, quod apposite interpositione *Poculi soterii* fit, quò *Animus* *gratitudine*, *religione*que imbuitur, ne in *abusum* *Divinorum Bonorum* erumpat. *Jucunditas* verò *Fini*, hinc adjecto, simul respondet. *Nemo* culpandus, qui *testandæ*, *firmandæ*, *conciliandæ*que *Amicitie* causâ curat, ut in *alterius Amici Salutem* unum *Poculum* exhauriatur. Idem svadet *Paritas*, quam *servare Amicus* operam *sedulam* navat, *alterique Amicitiam suam* promissam non immerito pro *ansa* data exhibere audet, id quod *ipsum* decet.

§. II. Ad tres dubitandi *Rationes* respondebimus: (a) obijciunt: *Pocula soteria* *incentivum Voluptatis* ac *Sobrietatis* esse: Verùm *nemo* non *Ritum*, *Saluti Potationis* ad *ebrietatem* destinatum, improbat. Hinc ergo *distingvenda Subjècta* sunt, *Pocula* videlicet, & simul *Tempora*, respectu quorum *Controversia* *concilianda* venit. (b) *Talia* perimere *libertatem* agendi, cum *Homines* plus *bibere* cogantur, quam *Nature* congruit. Sed observandum, hoc esse *facti*, non *juris*. *Pocula* enim *soteria* nullò *Incolunitatis nostræ* *damnò* fieri debent. *Ista* non *coactè*, verùm *libere*, capiuntur; *Mensura* non determinatur, sed ad *cujuscunqve bibendi rationem* exigitur. Nec *Pocula* in *gratiam indignorum*, *scelerum*, *nefandorum* *Hominum*, vel *ipsius Diaboli* haurienda, id quod, *proh dolor!* fieri solet; neque *ipsius DEI*, nec *Mortuorum*, jamjam in *Cælo* *viventium*; hoc ipsum quoque sæpius contingit. Sed *intuitu Patronorum*, vel *Parentum Superstitum*, qui *Promotores* agnoscuntur, *modice Poculis soteriis* uti concessum est. (c) *Potationes* *tales aliorum*, vel *proprie Sanitatis*, nihil prodesse, verùm potius nocere. Sic ergo *penitus abrogandæ* sunt. Dicendum hinc: Sin verò *asseratur*, ut *quis Potationibus deditus* ad exhibendum *Proximo Favorem*, & *vovendam Sanitatem* sit, solvitur *Votum* *rectius jejunando*, quam *ad ebrietatem usque* *capaciora Pocula* *exhauriendo*.
Hæc

Hæc *Obiectio* itaque pro *Papistis* militare videtur, qui maximè
pere *Jejunium* urgent, simul tamen crebriorem *Potûs* sumti-
onem permittunt. *Conf. Thomas Art. VI. in Respons. ad Secund.*
cujus verba citavit *B. D. Meisn. in Philos. Sobr. Part. III. Sect. I.*
Cap. V. Quæst. I. Ideo *Fallacia a Dicto secundum quid ad simpliciter*
tale committitur. *Falsa Opinio Encraticarum* quoque a nobis
non admittitur, quales *Vinum* prohibent, neque *Manicheorum,*
Turcarum, qui ab eodem abstinendum esse persuadent. Nec *Hypo-*
thesis Guitkii valet, qui voluit, nullam *Ebrietatem* excusari
posse. His omnibus ergo responsum damus, *Excessum di-*
mensi, non *Sobrietatis,* concedi debere.

POSITIO IV.

Inter *Species Temperantia Castitas* etiam recensetur, quæ
circa *Venerem* studiò *Mediocritatem* servat, *cujus* lege salvâ
prostibula & lupanaria tolerari nequeunt, interim *Osculis salu-*
tate licitum, si sint *Amici Antiqui,* atque simul *modus legitimus*
attendatur, & ex animo id fiat, uti *Homines infucatos* idem
debet, qui sibi *Amorem* exhibent.

§. I. Prius *Assertum* confirmatum redditur (a) per *Re-*
clam Rationem, quæ suadet, illud, quod *Mediocritatem* servat, *Tem-*
perantia Speciem constitui posse. Ideo etiam *Patroni Philosophiæ*
Practiciæ idem volunt. [b] Per *Descriptionem Virtutis,* quam non
solùm *Temperantiæ,* sed *speciebus ejusdem* tributam volumus.
(c) Per *venereæ rei Exercitium,* quod propter *Excessum* omni modò
improbatur. *Alterum Membrum* autem probamus [a] quâ *Exces-*
sum. Nam per *licentiam lupanarium* omni generi *libidinum* reve-
ra non tantùm aperitur, sed et *infinita Mala* in *Republicam*
invehuntur. *Væ tali Homini,* a quo talia perpetrantur. (b) Quâ
Dammum. Cùm *libidinis flamma* usu accendatur, addito *malo*
Habitu. (c) Quâ *Mandatum Divinum.* Siquidem in *Republica Ju-*
deorum DEUS prohibuit, ne *scorta* tolerarent, & *lupanaria*
excitarent, *Deut. XXIII. 17. 18. E.* multò minùs id *Christianorum*
Moribus concedi posse arbitramur. *Conf. loca Apostol. I. Cor. VI.*
18. Apoc. XXI. 8.

B

Hic

Hic ultimum *Comma Theſeos* ſtabilimus [a] per *Oſculi con-*
ditionem, quod non contra *Honeſtatem & bonos Mores* alteri da-
tur. (b) Per *Honeſtatem Officii*. Cùm *Oſculum* ipſum, quò ſalu-
tatur *Caſtitas*, genus honeſtiſſimi *Officii* ſit, ſi *Mediocritas* ſerve-
tur. (c) Per *Conciliationem Amicitie*, quæ per *Oſculi ſalutationem*
contingere ſolet ac debet.

§. II. De *priori* nullos hîc dubitare in confefſo eſt. Circa
Alterum Rationes nonnullas dubias producimus, quarum *Ima*:
Cùm tantam *Hominum colluviem*, quanta in *Republica* exiſtit,
a *Vitiis omnibus liberam*, præſtare nemo queat, a *prudentibus*
Magiſtratibus in *Moribus vitia minora* tolerari concefſum eſſe,
quæ ſine *motu* averti pro *impoſſibili* venditatur. Huic *Objectioni*
Regula vulgaris inſervit: *Inter duo Mala Minus* eligendum eſ-
ſe, ſi *utrumque* caveri nequit. *Secunda*: *Judicari*, malum *Forni-*
cationem permittere ad vitanda *Majora*, *Adulteria* ſcilicet, at-
que *ſupra*. Sed nullo caſu licet, unum *Malum* vitare, aliud pa-
trare, quantumvis non ſemper quid impedimento ſit. *Dam-*
num ſiquidem *iſtud* affert. Hîc valet *Aſſertio Paulina Rom. III.*
8. Damnationem juſtam eſſe illorum, qui non recte aſſerunt: *Facia-*
mus mala, ut eveniant *Bona*, ſicut *Ethnici* volunt. Contra *Ul-*
timam Affirmativam Sententiam pugnat *Socrates ap. Xenophon-*
tem in Sympos. ſtatuens: *Ubique ab oſculandi conſuetudine abſti-*
nendum eſſe. Ap. Senecam Virginis oſculum Sacerdotem petentis ar-
guitur impudicitia, Controv. II. lib. I. Vid. Rudrauff. Exerc. Moral.
pag. 208. Hîc autem *Diſtinctione inter Oſcula, per ſe & per accidens*
talia, opus eſt. *Ille ſolius Honeſtatis* ergo recepta ſunt; *hec*
ſapè non ſunt *licita*, nec ob *exceſſum*, qui committitur, *talia*
eſſe poſſunt.

POSITIO V.

Temperantes & Sobrii illi vocandi ſunt, qui *bis in d'ie* come-
dunt, eam quoque ob cauſam *Veterum* nonnulli pro *talibus ha-*
biti ſunt, qui *Sobrietati* dediti fuerunt, quæ *ſapè* crebro jejunandi
Exercitio roboratur. Hinc *Jejunium Medicamentum Opportuniſ-*
ſimum, piarum Exercitationum Adjumentum Maximum, omnigenæ
Virtutis Fundamentum optimum adhuc exiſtit ac exiſtet.

§. I. So-

§. I. *Sobrietatem & Temperantiam* permutari suo modo neminem fugit; eapropter *Sobrietas* *Continentia* a *superfluo* *Cibo* & *Potu* vocatur, a quorum *mediocri* usu aberrare hominibus *familiarissimum*, imò longè *familiarius*, quàm *ipsis* *bestiis* *plerisque*, dicitur. *Hæc* animis *implantatur*, & *Voracitatem*, & *Ebrietatem*, *pesissima* *duo* *Vitia*, *radicibus* *extirpanda* esse *suadet*. *Sobrios* & *Temperantes* *jure* *dicimus* *bis* *in* *Die* *comedentes*, *idque* *probare* *satagimus* [a] *Formali* *Temperantie*, *Mediocritate* *in* *Cibo* & *Potu*. [b] *opposita* *Conditione*: *Mediocritatem* *ii* *negligunt*, *qui* *raro*, *Comestione* & *Potatione* *abstinendo*, *Naturam* *Cibo* & *Potu* *obruunt*, *sicque* *morbum* *sibi* *contrahunt*. (c) *Omni* *Damni* *Remotione*. *Nam* *tales*, *qui* *bis* *comedunt*, *mediocriter* *Cibo* & *Potu* *utuntur* & *ab* *omni* *abusu* *abstinent*, & *paucis* *contenti* *sunt*. *Idem* *Veteres* *quoque* *observasse* *nullum* *dubium*, *Historia* *iisdem* *distincte* *Prandia* & *Cænas* *tribuunt*, *licet* *id* *non* *adeo* *frequens* *apud* *Græcos* *fuerit*. *Jejunium* *Medicamentum* *Opportunitissimum* *dixit* *Drexelius* *Lib. I. de* *Jejunio* *Cap. V. §. II. III. Idem* *Adjumentum* *piarum* *Exercitationum*, *non* *more* *Fanaticorum* *hodiernorum*, *sed* *sincerorum* *Christianorum*, *instituendarum*. *Chrysofomo* *teste*, *Oratio* *sine* *Jejunio* *Miles* *sine* *Gladio* *dicitur*. *Denique* *idem* *omnigenæ* *Veritatis* *Fundamentum*, *sicut* *Hieronymus* *loquitur*. *Pertinent* *huc* *Versus* *Antiqui* *Trochaici*:

Abstinentia *opitulatur* *omnibus* *Virtutibus*,
Flagitia *interdicit* *omnia*, *qui* *indicit* *Jejunia*.

§. II. *Sententiæ* *Affirmatiæ* *contradixerunt* *Plato*, *in* *Epist. ad* *Amicos* *Dionis* *scribens*: *Non* *posse* *apud* *eos* *Prudentiam* *esse*, *qui* *quotidie* *bis* *saturi* *fierent*. *Sic* *Thomas* *Aquinas* *judicat*: *Necessarium* *esse* *Temperantiæ* & *Jejunii* *Requisitum*, *ut* *in* *die* *semel* *tantum* *comedatur*. *Resp. ad* *Prioris* *Affertionem*: [a] *Verba* *non* *universaliter* *de* *omnibus* *Subjectis* *accipienda* *esse*. [b] *Dist. inter* *Prudentiam*, *subjecto* *denegatam*, *absurditatem* *quandam* *gignentem* & *eandem* *removentem*. *Posterior* *hic* *consideranda* *est*. (c) *Dist. inter* *Quotidianam* *Comestionem* *bis* *instituendam* *Mediocritati* *destinatam*, & *non* *destinatam*. *De* *posteriori* *nobis* *sermo* *in* *applicacione* *ad* *Thesin* *præsentem*. *Resp. ad* *Thomæ* *Opinionem*:

nionem: (a) *Judicium illius non in totum, sed in tantum* admittendum esse, in quantum *excessum* committunt ii, qui bis comedunt. (b) *Dist. inter Necessitatem Expedientie, ad bene esse, vel prodesse spectantis, & Exigentia, ad ipsum esse relatæ; hanc opinionem Viri applicamus.* (c) *Dist. inter Subjēta, quæ bis comedunt, vel ex consuetudine, vel ad Sanitatem; cū prioribus Vir iste sermonem instituit.* Sic *negativam ultimæ Assertionis, quæ Sententiam Cibi, Veteribus tribuendam, defenderant Multi & Maximi Autores, qui inscitia Servium arguere conati, ut Bodinus, Beroaldus, Bisciola, Calius & hodie, & Alii.* Verum horum explicatio non simpliciter, sed secundum quid est toleranda, & limitanda pro diversa Subjectorum in Argumentis accommodatione, quæ non est respuenda.

POSITIO VI.

Inter *Objēta Sobrietatis præcipuum locum Vinum* habet, cujus *usus licitus, & potissimum Magistratus, Sacerdotes, seu Verbi Ministros, Mulieres & Adolescentes, secundum distinctos Status, decet, quibus omnibus Sobrietas, propria est.*

§. I. *Vinum, tanquam Potus maxime inebrians, adversus quem se quasi armat Sobrietas, hic quoad usum consideratu dignus, de quo talis Questio formanda: An ille in communi Vita licitus sit, & ut modicus, certos Homines deceat? Affirmativa utriusque a nobis manifesta reddi potest: (a) Quæ Existentiam Vini: Vinum inter Creaturas DEI Confer. Beneficii nomine venit, collocatur. (b) Quæ Essentiam: Vinum quotidiani DEI I. Tim. V. 23. (c) Quæ Adjunctum ipsum. Plinius Lib. XXIII. Cap. I. Vino, inquit, aluntur Vires, Sanguis, Colorque Hominum. Conf. Janus Cornarus de Re Vinitoria Lib. I, Cap. XX. Talis Usus Vini tribuendus Magistratibus, propter Officii Dignitatem. Conf. Alexandr. ab Alexandr. Lib. III. Cap. XI. Sacerdotibus, ob eandem; Mulieribus, ob Sexus imbecillitatem; Adolescentibus, ob Ætatis lubricitatem. Vid. Plato in LL. lib. II. Etsi Adolescentibus idem Vir Usam Vini ante XIX. Annos prorsus interdixerit.*

§. II. *Quoad priorem Assertionem olim Encratita, a Temperantia & Continentia dicti, quam professi sunt Discipuli Tatiani,*

ni, falsò docuerunt: *Vinum quoddam abominabile & diabolicum esse, Vitem a Serpente Diabolo, terra commixto, non a DEO, Originem habere. Quos verò Manichæi secuti circa Annum CHRISTI CCLXXX. Vinum dicentes Fel principum tenebrarum, teste Aug. lib. ad quod vult DEUM. Item Severiani, Turca, ex Præcepto Mahomedis vinum nihili æstimantes. Sed omnes illi Viri Abusum, non usum, attendunt, & in excessu peccant. Deinde Originem diversam ejusdem confundunt, & a Particulari ad Universale concludunt, committuntque sic Fallaciam a Dicto secundum quid ad Dictum simpliciter. Quoad Posteriores verò Plurimi errarunt, qui toto Imperii tempore Magistratibus suis Vinum penitus interdixerunt, ut Carthaginenses, judicantes: Non alios, quàm abstemios & frugales Principes Reipublicæ prodesse posse. Vid. Alex. ab Alexandr. lib. IV. Cap. VI. Lib. III. Cap. XI. Illi, qui Usus Vini Sacerdotibus ex parte denegare videntur, urgentes Verba Paulina: Bonum esse, Vinum non bibere. Rom. XIV. 21. Multi simul Mulieribus vini usum non concedentes, nec non ab Adolescentibus eundem removentes. Verùm facile Opinionibus illorum satisfaciendum erit Distinctione locorum, in quibus Vino nonnulli modice utuntur, & immodice illud bibunt. De Prioribus nobis sermo, de Posterioribus Adversarii loquuntur, ut sic Scopæ dissolutæ in totum factò tales esse dicantur.*

POSITIO VII.

Ufus Carnis est licitus, prout Caro alterum Sobrietatis Objectum, cujus fere tam frequens, quàm Vini, est Abusus, quem hîc rejectum totaliter volumus.

§. I. Carnem hîc sumimus pro Objecto Primario Continentiæ, quod ipse temperans retinet, & quidem in casu necessitatis Carne humana in Morbis depellendis uti licitum est, ut patet ex quibusdam Medicamentis. Nos ergo Affirmativam Theseos urgemus, potissimùm quoad tempus Antediluvianum (a) Præstantiâ Carnium; cùm pleræque Carnes tempore diluviano Pellibus præstantiores fuerint, quales, Animantibus propria, ad Vestitum Homini eodem tempore concessæ fuerunt. Hinc tales non pro Inutilibus & prohibitis habendæ sunt. (b). Conditio-

ne Subjectorum. Nam ante Diluuium Primi Homines ex Animalibus Sacrificia obtulerunt, & sic ex Sacrificatis Animalibus pars aliqua in Cibum Sacrificantibus cessit. Idem lege postmodum promulgatum est. Inde quoque Usus Carnis licitum fuisse, necessario concludendum erit. (c) Vigore Curæ pastoralis, ante Diluuium spectatæ. Is Exemplò Abelis Gen. IV. 4. monstratur. Legantur verba Cajetani in IV. Gen. citata ap. Wendelinum in Phil. Moral. Lib. I. de Recta Vita Cap. XVI. Thes. II. Qu. VII. pag. 590. Iste Usus habet Prærogativam ante Vinum, & Sanitatem locupletio-riorem reddit, nec ullum damnum Subjecto affert. Exempla quoque Medicis incognita non sunt.

§. II. Multi ex Veteribus Philosophis extiterunt, qui contra-riam Sententiam foverunt, quam Ecclesia & Encratite & Mani-chaei obtrudere conati sunt. Vid. Porphyrius de Abſtinentia. Plurimi quoque ante Diluuium licitum & usitatum Carnium esum rejecerunt, hanc Rationem proferentes: Quòd permissus Car-nis esus post Diluuium demum legatur, etiam per Comparationem Cibi ante usitati, qui exprimitur, Gen. I. 29. Sed est Petitio Principii, cum nulla prohibitio Esus Carnium tempore ante-diluviano facta sit. Hinc Probationes, in §. præced. adductæ, hic locum inveni-unt. Ut sic frustra Cause indigentia regerantur atque urgean-tur. Ideo nec Plutarcho fides tribuenda docenti: Optimum esse, in Corpus assuefacere, ut nullus Carnium Esus requiratur. Cujus Ratio præcipua: Quia maxime Cruditates ab Esu Carnium metuendæ sunt. Ab hujus Opinione itaque & Theologorum & Medicorum, cum Veterum, tum Recentiorum, plerique temperan-tes discedunt, & ipsi Philosophi Ethici eidem vere contradicunt. Eam ob causam Sententiam istorum non admittimus, sed in to-tum rejicimus, in quantum absona dicitur.

POSITIO IIX.

Incontinentiam, relative spectatam, hic dari, nullus negabit, quam pro Vitio habemus, in quantum Modum in Voluptatibus & Cupiditatibus excedit, nomineque ἀκολασίας ve-nit. Vel ab omnibus, etiam licitis Voluptatibus, abhorret, sic
ἀνασ-

ἀνομιμία vocari solet, quam ut *Vitium Magnum & horribile* non inconvenienter detestari *Homo* debet, si vitia fugiat.


§. I. *Incontinentiam* opponimus *Continentia*, quam hinc late accipimus, prout duplici modo potest explicari, cum *Vitium* hoc *Excessum & Defectum* importet. *Existentiam* ejusdem stabilire conamur (a) *Oppositione Incontinentia contraria*. Multa enim sunt *Subiecta*, quae is simul student, sicque *contraria opposita* in *alia* cadunt. E. *Incontinentiam* existere nullum dubium est. (b) *Vitii*, in *excessu*, *Temperantia* proprii, *Conditione*, quae *Incontinentia* dicitur, existens in certo *Subiecto*, quod male constitutum est. (c) *Vitii* in *defectu* *ralis*, sub *Incontinentia* *Comprehensione*, quae *Excessum* praesupponit, vel *Vitium*, in eodem committendum. *Incontinentiam* ergo quoad *Veritatem Moralem* seu *Ethicam* existere & pro *Vitio* haberi statuimus, id patet his *Rationibus*: (a) Cum per *Incontinentiam* recedatur ab eo, quod secundum *legem & Rationem* est, quae improbandum. (b) Cum per eandem *Homo* turpidus *delectationibus* immergatur. Vid. *Aristot. lib. VII. Ethic. Cap. IIX.* scribens: *Incontinentiam* vituperari ut *malitiam*, *pravas Cupiditates* sub se *comprehendentem*. (c) Cum juxta *Apost. Paul. I. Tim. III. 2.* *Vitium* eandem esse dicatur. *Cetera* vere *quotidiana Experientia* confirmat, & *Exempla* idem docent. Quae adducere supervacaneum erit.

§. Ipse *Piccolomineus* *Existentiam Incontinentia* in dubium vocat dicens: *Jure ambigi, an sit Continentia, an Incontinentia?* *Socrates*, *Sapientissimus Mortalium*, nullam *Incontinentiam* olim statuit. Vid. *Piccolomineus Grad. III. Cap. XII.* *Socrates* meliora videt, eaque probat, sed *deteriora* sequitur. *Nata* hinc *Socratica & Platonica Hypothesis*: *Neminem sponte malum esse & scientem non posse peccare*. Verum idem debet *Subiecta* distingvere. *Sunt Plurimi*, qui *mala* vitant, & *meliora* probant; ut de *Barbaris*, *Pecudum* instar *viventibus*, & *agentibus*, nulla verba faciamus. *Quales* de isto *Vitio* absolvi nequeunt. *Nec* in *contrarium* aliquid objici potest, quod *Incontinentia* non sit *Vitium*. Licet *Augustinus* dixerit in *Lib. III. de Lib. Arbitr. Cap. XIIX.*

Nullus

Nullus peccat in eo, quod vitare non potest. Peccatū nunquam
æstimandum ex *Hominum Viribus* est, sed ex *Lege DEI*. Quod
legi adversatur, *Peccatum* est. Sive id vitari ab *Homine* possit,
sive nequeat. Observatu quoque hîc necessaria *Distinctio* inter
Incontinentiam nomine ἀκολασίας, & ἀναρτησίας gaudentem. Li-
bet hîc verb a *Ciceronis* pro *Celio* addere: *Si quem forte inveni-*
retis, qui a spernetur Oculis Pulchritudinem rerum, qui non Odore,
non Tactu, non Sapore capiatur, excludat Aurilus omnem Svavitatem,
huic Homini ego fortasse, & pauci DEOS Propitios, (si ita
loqui liceat,) plerique etiam iratos putabimus. Hinc & *Inconti-*
nentiam, ut Vitium, a nobis omnibus removeere debemus, ne
DEUS ipse occasionem habeat, suam iram testari, & contra
Summam suam Gratiam nobis denegare. *Istud absit!* Verum hoc
optandum, sed in *miserrimo Statu mundano* ne utiqvam spe-
randum, cum, proh dolor! potius ad *Mala,* quàm ad *Bona,*
nostrum *Animum* quotidie dirigamus. O *Infortunium Infor-*
tuniorum! *DEUS* *Corda* regat, ut *Incontinentiam* a nobis re-
moveamus, semperque *Temperantiae & aliis Virtutibus* dedi-
ti simus, & in isto *Proposito* permaneamus.

CUI, TEMPERANTIÆ
AUTORI, SIT GLORIA,
IN SEMPITERNUM
DURATURA!



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

